

acie stant ante turrim, curvos manu baculos gerentes, gladiatorum instar. Iterum tubæ clangor tympanique sonus impetum nuntiant: ardentes, confecta acie, in turrim irruunt; oppugnati simul quam velocissime duos nivos globos projiciunt; at nihil prodest. Multi fossas implent ac baculis adnixa murum scandere tentant. Hic fortis *Rouleau*, furtim sudem arripit, conaturque evertere murum. Hic fervens *Paré* sociorum in humeros ascendens, parietem superare audet; sed frustra: immensas obsessi furentes niveas projiciunt moles, quæ illos detrudunt, irritantque conatus. Summâ in turri conspicuus apparebat impavidus *Daignault*, ipse exstructor turris: manibus pedibusque excidit moles quas forti nervo desuper in capita obsidentium fragore diffrangit; non secus socii fortes *Prévost*, *Lehewf*, *Toupin*, alique sine nomine tam multi. Sine intermissione, ex utraque parte nivos pluunt globuli, multique vulnera vel ad sanguinem accipiunt. Nihil tamen animos moderatur, et eodem ardore, cæco Marte, contendunt. At *Filion* jussu, ex parte oppugnantium exauditur tuba canora, recessum imperans et requiei paululum.

Haud longa mora, rursusque iteratur prælium. Nulla carmini finis, si omnia prodigia hujus pugnae enarrare velim. Ter a prælio recesserunt obsidentes, terque iteraverunt, frustra conantes scandere muros vel detrudere. Tandem: "O socii, inquit *Filion*, nisu supremo opus, recedere ignavia est." Tunc *Labonté* palum arripit ac, multis juvantibus, in muro condit trajecto. At ferox *Daignault* partem extremam excedentem vi magna arripit, ad se retrahere cupiens sed frustra. Hoc palo fracta pars muri magno fragore procumbit. Proturbantur obsessi. Et simul obsidentium clamoribus æra resultant, eorumque eo major fit animus. Haud mora: ipse *Paquin* audax sociorum scapulis utitur scalâ et jam toto capite superat murum. At *Daignault* in eum irruit vacillantem et paulum abest quin ambo extra turrim delabantur. Nihilominus *Paquin* stat firmus, ac nisu supremo pedem in summa ponit turri. Veloces sequuntur socii, obsessos detru-